UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

XXII. Bischof Otto's Synodal-Verordnungen über die Testamentsvollstreckung, die Feier von Festtagen, die Residenz der Landpfarrer, die Einhegung der Kirchhöfe und dergl., vom Jahre 1496.

urn:nbn:de:hbz:466:1-54314

Visual Library

carent. In premiſſis caſibus contumacia et rebellione concurrentibus, Ceſſationis huiuſmodi proceſſus ſaluis interuallis vnius menſis decernatur. In quo moneatur ipſe reus, quod ſatisfaciat, et domini temporales, quod eum ſua iuriſdictione temporali ad hoc conſtringant infra terminum competentem. Alioquin vbicunque viſus fuerit, ceſſetur a ſolemniis diuinorum, qua ceſſatione durante celebrari poterit ianuis clauſis laicis excluſis et nichilominus omnia ſacramenta ſanis et infirmis, ſicut huiuſmodi ceſſatione non exiſtente fieri ſolet, miniſtrentur. Eis tamen, qui vltra annum in excommunicatione ſteterint, quos non excuſat inopia, per hoc priuilegiari non vult, quominus contra eos ob clamum contemptum rigidius procedi poſſit.

XXII. Biſchof Otto's Synodal-Verordnungen über die Teſtamentsvollſtreckung, die Feier von Feſttagen, die Reſidenz der Landpfarrer, die Einhegung der Kirchhöfe und dergl., vom Jahre 1496.

Statutum in publica ſynodo publicatum anno domini etc. XCVI. feria tercia poſt Cantate. Otto, dei et apoſtolice ſedis gratia Epiſcopus eccleſie Hauelbergenſis, Omnibus et ſingulis eccleſiaſticis et ſecularibus perſonis noſtre dioceſis, executoribus vltimarum voluntatum vel in futurum deputandis, huiuſmodi vltimarum voluntatum et teſtamentorum de executione ſe intromittentibus, precipimus et mandamus, Quatinus ſub pena excommunicationis, quam incurrere volumus eos ipſo facto, niſi fecerint, que precipimus et mandamus, firmiter precipiendo Mandantes, Ne de bonis quarumcunque perſonarum eccleſiaſticarum, cuiuſcunque gradus, ſtatus, conditionis et preeminentie fuerint, ratione executionis teſtamentorum ſeu vltimarum voluntatum, quoquomodo ſe intromittant vel aliquo modo executionem facere incipiant, Niſi prius de relictis bonis et inuentis ac creditis et debitis coram Notario approbato inuentaria faciant et officiali noſtro de huiuſmodi teſtamentis et inuentariis copias per Notarium auſcultatas et ſubſcriptas infra quatuordecim dies poſt obitum teſtatoris immediate tradant, quodque infra annum, dictos quatuordecim dies ſequentem, executionem hujusmodi teſtamentorum ſiue vltimarum voluntatum realiter et cum effectu faciant, et de huiuſmodi reali executione infra octo dies poſt dictum annum officialem noſtrum debite certificent, ſub pena quinque florenorum Fiſco noſtro applicandorum, quam quilibet teſtamentarius, dummodo per eum ſtetit, quominus executio fiat, debeat incurrere ipſo facto, ceſſantibus legittimis impedimentis et rationabilibus et veris cauſis coram officiali noſtro infra dictos terminos iuxta exigentiam cauſarum huiuſmodi proponendis et admiſſis. Alioquin, prout viſum fuerit et ordo dictauerit iuris et rationis, prouidebitur oportune. Inſuper precipimus et mandamus teſtamentariis et vltimarum voluntatum executoribus, qui hactenus ſe de teſtamentis ſeu vltimarum voluntatum executionibus intromiſerunt, vt adhuc infra ſpacium vnius menſis executionem teſtamentorum ſeu extremarum voluntatum huiuſmodi realem faciant et officialem noſtrum generalem infra dictum Menſem de executione huiuſmodi certificent, traditis et exhibitis primitus inuentariis, iuxta continentiam antedicti noſtri ſtatuti deſuper publicati de bonis derelictis inuentis atque creditis teſtatorum. Alioquin contra eos rigidius procedemus. Item volumus et mandamus, quod quilibet diuinorum Rector copiam noſtri Sinodalis proceſſus, quam ab officiali noſtro aut notario conſiſtoriali acquirere poterit, infra ſex ſeptimanas proximas habere teneatur, Ac copiam eandem infra eundem terminum intra eccleſiam ſuam in aliquo loco, vbi clerus loci illius frequentius conuenire conſueuerit, publice locet, Et ſemper ibi iacere promittet, vt nemo ignorantiam pretendere poſſit de premiſſis, ſub pena vnius floreni. Item Reuocamus omnes et ſingulas membranas, per officialem noſtrum datas: et hii, qui tales

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

adhuc apud ſe detinent, igne cremari debent, ſub pena excommunicationis. Item ſtatuimus et mandamus vt fratres kalendarum in fraternitate conſtituti, ſub pena priuationis fructuum, infra vnius ſpatium menſis confirmationem eorundem a nobis aut officiali noſtro debent obtinere, et creſcente contumacia creſcere debet et pena. Hii qui non infra dictum terminum exegerint et obtinuerint confirmationem antedictam, contra eos tanquam rebelles rigidius procedemus. Item ſtatuimus et mandamus, ſub excommunicationis pena, canonica tamen monitione premiſſa, et expoſt et inantea feſtum Conſtantii, quod feſtum ſicut feſtum ſancti Laurentii cum debitis et consuetis cerimoniis, quantum ſolemnius atque decentius fieri poteſt, etiam cum proceſſionibus, Dies autem ipſa tota celebris habeatur et ab eccleſiarum rectoribus dominica immediate procedente proclametur cum exhortatione, vt chriſti fideles ſe ab operibus mechanicis per illum diem abſtineant. Item feſtum ſanctorum Galli et Lulli confeſſorum tanquam feſtum nouem lectionum ſolemnium cum Reſponſorio: Iſti ſunt viri ſancti quos elegit dominus in caritate etc. deinceps ſtatuit obſeruari. Idem feſtum ſancti Rochi laici confeſſoris, tanquam feſtum nouem lectionum cum reſponſorio Juſtum deduxit ammodo ſingulis annis quinta menſis Marcii precipit peragi et obſeruari.

Item prefatus Reuerendus in chriſto pater et dominus Otto, Epiſcopus eccleſie Hauelbergenſis, quedam feſta compulſationum de nouo precepit obſeruari. Videlicet feſtum ſancti Ignatii altera die poſt Blaſii, feſtum Zotici, Erenei et Jacincti duodecima Menſis Februarii, feſtum Valentini martiris et preſbiteri terciadecima eiuſdem Menſis, Feſtum Affre martiris et electe ſecunda Marcii, Adelberti martiris et pontificis decima nona eiuſdem menſis, Feſtum ſ. Geroncii mart. et pontif. viceſima tercia predicti Menſis, Feſtum Marie ad martires viceſima octaua eiuſdem Menſis, Et feſtum ſancti Gangulphi martiris ſexta Menſis Aprilis. Que ſingulis annis tanquam conpulſationum peragi vult, ſtatuit atque mandat, Et illa in Kalendario et Breuiario ita ordinari etiam duxit ſtatuendum.

Deinde ſtatuimus Feſtum ſancte Anne matris glorioriſſime dei genitricis ſemper virginis Marie per totam noſtram dioceſim, tam a clero, quam a populo, deinceps et in antea ſingulis annis in loco ſolito poſt Jacobi cum ieiunio, cantu, proceſſione et pulſu campanarum ac aliis ſolemnitatibus ſolitis et conſuetis tamquam ſummum feſtum ſolemniter celebrari et venerari. Et hoc ſinguli Curati dominica precedenti ac alias, vbi et quando opus fuerit, faciant in ſermonibus populo intimari et publicari. Inſuper ſtatuimus, quod Curati eccleſiarum, ſeu etiam Prepoſiti et Commiſſarii, necnon teſtes Sinodales, ſingulis annis iuxta ordinem Fraternitatis kalendarum deputandi, infra Menſem, poſtquam innotuerit eis, aliquem exceſſiſſe contra ſtatuta Sinodalia, executori ſtatutorum huiuſmodi ſub pena arbitraria ſuis litteris et ſcriptis intimare curent et executorem eorundem ſtatutorum, vicarium noſtrum in ſpiritualibus ac officialem generalem duximus deputandum et deputamus. Denuo ſtatuimus, vt ſinguli Curati apud vitricos eccleſiarum et ſignanter villis apud eos et ceteros villanos inſtent et publice in eccleſiis ſuis denuncient, quod cimiteria eccleſiarum vallo aut ſepibus muniant et circumdent. Alioquin ſi negligentes circa hoc reperti fuerint, eos citare et punire volumus et intendimus. Ex querela multorum et fama publica deferente accepimus, quod ſint plerique curati ſuas eccleſias deferentes, ad ciuitates et oppida confluunt, ibidem degentes, propter quod negligentie et multa pericula animarum eueniunt. Ideo huiusmodi negligentiis et periculis obuiando ſtatuimus, vt ſinguli curati apud eccleſias ſuas perſonaliter reſideant et diligenter circa curam eis commiſſam vigilent, Nec ſe a ſua eccleſia abſentare preſumant, niſi a nobis aut noſtro officiali licentiam petierint et obtinuerint ſpecialem. Contrarium facientes eadem ſua eccleſia priuabimus iuſticia mediante ac alias contra eos procedemus et punire volumus et intendimus. Item ſtatuimus vt teſtes Sinodales in proxima Sinodo deputati coram noſtro officiali compareant, de ſingulis, que correctione digna nouerint, relationem fidelem mediis eorum iuramentis corporaliter preſtandis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

facturi. Ac quod poſt ipſorum abſolutionem noui teſtes Sinodales, ſecundum ſenium in fraternitate Kalendarum, ac alias prout conſuetum fuit, in ſingulis diſtrictibus per totam dioceſim deputentur, pena arbitraria contra negligentes et rebelles proferenda. (Inſuper ſtatuit idem dominus noſter graciofus, ſinguli ſacerdotes ſue dioceſis in ſuis teſtamentis loco portionis canonice eundem dominum noſtrum iuxta facultates ſuas debite recognoſcant et infra medium floren. ſibi minime aſſignent. Alioquin teſtamenta huiuſmodi minime approbare, ſed executionem bonorum ipſorum tanquam ab inteſtato decedentium ad ſe deuolutam eſſe declarat, vult et intendit.)

XXIII. Biſchof Johann von Havelberg beſtätigt das Havelbergſche Brevir, im Jahre 1511.

Johannes, Dei gratia epiſcopus Havelbergenſis etc. — Conuenit autem eccleſie ordinem non quemcunque ſecundum varietatem perſonarum ac clericorum variose, ſed ab omnibus equaliter cuſtodiri, vt ſic vnus et idem in pſallendo ordo in diuinis officiis teneatur. — Ea propter librum diuinorum officiorum, quem ſecundum ritum noſtre eccleſie Hauelbergenſis pro toto clero in pſallendis choris diligenter colligi, conſcribi ac examinari fecimus, in dei nomine de conſenſu noſtri capituli approbamus et approbando confirmamus. Monemus itaque et exhortamur in domino omnes et ſingulos presbyteros, curatos et non curatos, ac alios quoſcunque, qui ex ordine ſacro aut ratione titulorum beneficiorum ſuorum ad horas canonicas ſunt aſtricti, quibus in virtute ſancte obedientie diſtricte precipiendo mandamus, eis nihilominus in remiſſionem peccaminum ſuorum iniungentes, quatenus preſentem ordinarium ſiue breuiarium diligenter acceptant et ſecundum ipſum horas canonicas deo gratanter perſoluant, et conformiter legant —. Datum Wittogk, in ſinodo noſtra epiſcopali, Anno domini Milleſimo quingenteſimo vndecimo celebrata, feria tertia poſt cantate, noſtro ſub ſigillo.

Das Brevir, welches beginnt: Ad honorem ſancte Marie virginis ſanctique Laurentii ceterorumque Patronorum in Hauelberg incipit breuiarium ſecundum rubricam Hauelbergenſem pro communi clero eiuſdem dioceſis — iſt im Jahre 1511 zu Magdeburg bei Jacob Winter im Druck erſchienen.